

Superi Inferique maris ora negociatoribus tutum relinqueretur. Appuliæ Calabriæque portus, in quos se ex alto recipiebant, majorem latrocinandi materiam animumque ad id facinus exhibebant. Venetis eam injuriam sapius ad Alphonsum questis, quum ferme semper illud redderetur: *Dolere se vehementer, Venetos negociatores ulla suorum injuria affectos, neque illud mandatum fuisse cuiquam, neque satis credere id, quod illi dicerent, factum*: percitus ira Diedus Bistonium, tunc piratarum tutissimum refugium, repente adoritur. Credo ego, ita a majoribus appellatum maritimum in Frentanorum ora oppidum, quod hodie vulgo *Besticen* vocant. Primo igitur ab oppidanis petit, ut latrones eo compulsos sibi dederent, quo præstito pollicebatur, sine cujusquam injuria se inde classem abducturum. Bistoniensibus id se facturos negantibus, vimque insuper, si a Veneto aliquid moveretur, parantibus, arma Diedus intulit: qui oppidum oppugnatione adortus, adduxisset omnino hostem in discrimen, nisi subito coorta tempestas Venetos, disjecta classe, pene naufragos injuriæ opportunos reddidisset. Quo accidit, ut ipse triremium præfectus cum navalibus turmis in hostium potestatem venerit. Hi postea Alphonfi Regis jussu, classe & rebus receptis, sunt dimissi. Additum & præsentī liberalitati, quod Rex professus est, se Veneto persoluturum, si quid diceret pugna illa amissum, quod ad eam diem non recepisset. Ductu & auspicio Andreae Quirini captivæ naves ex Bistonienſi portu sunt abductæ: qui ad pristinam ignominiam abolendam piratas persecutus, multas Venetas ab illis victis fugatisque naves recepit, multas etiam proprias ademit. Ipsi haud ignari quid supplicii meriti essent, ne in Veneti potestatem venirent, Liburnicis relictis, qua proximum cuique fuit, in littus abiere, ac tantisper a mari abstinuerunt, dum Venetam classem domum reductam audire: tum vero aliquanto atrocius coorti, rursus omnia latrociniiis fœdare. Sed neque ea licentia diuturna fuit, Philippo Canali cum tribus onerariis & triremi una ad eorum cursum inhibendum, subito ex urbe missa.